S. Alexander Alesius heri auspicatus est praelecti-
ones suas, ac memoriter habuit orationem sane
elegantem, in qua commemoravit primum, Eccle-
siam Christi exulare in hoc mundo, & nusquam
habere certam ac durabilem sedem. ~~Haec~~ aut
eo praefatus est, quoniam exilium inter proba-
dum solet, ne fortassis propter exilium ipse
a nobis contemneretur. Deinde in genere
de scholis dixit, quod magni referat,
hoc praesertim tempore, restitui fundationes scho-
las. Cumque iam illustriss. princeps elector
noster ea in re optimam voluntatem osten-
derit, quod gratulari huic felicitati
reipublicae debeamus. Nam illustrissimum
eius celsitudinem praeclarius hac in re
mereri de suis populis, & de tota
posteritate, quam si novas aureas aut ar-
genteas venas reperiret, tam largas, quam
fuerunt ~~venae~~ Lydiae, quae ~~Croesi~~ Croesi opes
tantopere auxerunt. Postremo dixit
de sua professione, quod genus doctrinae
~~[illegible]~~ piam profiteatur ~~profiteretur~~ & consensum catho-
licae Ecclesiae Christi, vere & ex animo
amplectatur, seque inter fidos ~~[illegible]~~
Evangelii interpretes nobis commendavit.
Orationem ipse editurus est, eamque, ut
quidem intellexi, dedicavit. Disputaturus
est etiam in his nundinis. Sed paucos ~~—~~